



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quód vnus sit gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciet. Ixix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

quenter intellectus patet: quia de quibusdam conceditur. Sed tamen ut prædixi, hoc de paruis minimisque peccatis fieri posse credendum est: sicut est assiduus ociosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris: quæ vix sine culpa ab ipsis agitur, qui culpas qualiter declinari debeant sciunt, aut non in grauibus rebus error ignorantia, quæ cuncta etiam post mortem grauant, si ad huc in hac vita positus minime fuerint relaxata. Nam & cum Paulus dicat, Christum esse fundamentum, atque subiungat, si quis super ædificauerit super hoc fundamentum, autum & argētum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, si cuius opus arferit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: quanuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi, attamen si quis hæc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicitè est: quia illum dixit posse per ignem saluari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata maiora, & idcirco duriora, atque iam tunc insolubilia, sed ligna, fœnum, stipulam, id est, peccata minima atque leuissima, quæ ignis facilè consumit. Hoc tamen sciendum est: quia illic saltem de minimis nil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.

Quod vnus sit gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciet. Caput LXIX.

Quæso te, vnus esse gehennæ ignis credendus est, an *Ex eodē.*
 quanta peccatorum diuersitas fuerit, tanta quoque *Pet. int.*
 & ipsa æstimanda sunt incendia esse præparata?
 Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vniuscuiusque etenim quantum *Græ. ref.*
 exigit culpa, tantum illic sentietur pœna. Nam sicut in hoc mundo sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorè æqualiter sentiunt: quia alius plus æstuat, atque alius minus: ita illic in vno igne non vnus est modus incendij: quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorum: ut & ignem nõ dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exuret.

SS iiii